



FAVETE BINGVISI

Q. D. B. V.

CYNOSURA
STUDIORUM PUBLICORUM
GYMNASII BREGENSIS,
BREVISSIMIS LINEIS
ADUMBRATA,
ET
VELUTI IN TABULA,
SUB NOVO SCHEMATE,
LUCI PUBLICÆ EXPOSITA.

CICERO L. III. de Divinat.

*Nullum majus meliusquè munus Reipublicæ afferre possumus, quam
si doceamus atquè erudiamus Juventutem, his præsertim tem-
poribus & moribus, quibus ea ita prolapsa est, ut omnium Opibus
refrenanda & cõercenda sit.*

BRIGÆ,

Exprimebat Johannes Christophorus Jacobi.



FAVETE LINGVIS!

I.



Vod in molesta plenaq; periculi Navigatione est CYNOSURA, & quæ imperscrutabili quadam vi ad eam, velut in æquilibrium fixa, se convertit, ACUS magnetica: id ipsum in ardua ac difficili Studiorum atqve Scientiarum omnium ratione est ORDO pariter ac METHODUS certissima, clarissima. Absq; hac enim NORMA & POLARI STELLA, qui immensum Literarum Oceanum ingrediuntur, illi inter tot Auctores, tam varias Lectiones ac Disciplinas, tot Opinionum divortia ac portenta, veluti inter decumanos fluctus, & naufragiis infames scopulos anxii dubiq; hærent, & nunquam, vel rarò admodum, veræ solidæq; Eruditionis portum feliciter attingunt. Qui verò singulari Cœli clementia, favente Favonio, & incredibili propè labore tandem appulerunt; hi plerumq; nimis serò, & per varios casus ac salebrosas ambages se isthuc delatos esse gravissimè conqveruntur. Igitur, ne idem cum irreparabili damno *Nostris* ulu veniat, qui Navem GYMNASII hujus conscenderunt; præscribemus illis METHODUM quàm commodissimam, quæ tanquam HELICE, aut CYNOSURA, absq; Mæandris perplexis & tortuosis gyris, ad metam exoptatissimam brevi jucundâq; viâ ducat. Suscipite eam, immò respicite eam, ô Mei! intentis oculis animisq;, & dum auditis *Zephyros spirare secundos,*

Solvite vela citi, tortosq; incidite funes.

II. Antequam verò anchoram tollamus, & tam infido nos committamus Pelago, posthabitis omnibus aliis, in sacram nos recipiamus Ædem, devotissimâ mente supplicaturi, ut omnem hanc Navigationem literariam felicem esse jubeat,

— *Qui dicto citius tumida æquora placat;
Collectasq; fugat nubes, Solemq; reducit.*

PIETAS enim prora ac puppis Studiorum esto. Atq; hanc quotidiana Preca-tionum, Sententiarumq; divinarum, Evangeliorum item, ac Psalmorum nobiliorum recitatione, Bibliorum lectione, Concionum sacrarum auscultatione, repetitione, Catecheseos *Lutheri*, aurei illius *Enchiridii*, nunc strictiori, nunc pleniori explicatione, Præceptores, quisq; in sua Classe, veluti cum lacte materno, teneris instillant animis, & aliis ad hanc rem facientibus monitis exemplisq; subindè confirmant. Quos quidem liqvores PIETATIS, qui probè haurit, ille non tantùm de DEO rectè sentire, pièq; ac purè DEUM colere discit, sed præterea quoq; in periculoso isto itinere, Morganas ingeniosas, hoc est, fluxam ac fragilem Vanitatum gloriam videt, errorum Syrtes notat, & in prosperis æquè ac adversis semper IDEM nec colorem, nec animum mutat;

*Etsi totus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinae.*

III. Deinde ad tam diuturnam ancipitemq; Navigationem maturè supelle-ctilem nauticam instruamus, hoc est, omni contendamus opere, ut exactè LEGERE, SCRIBERE eleganter, & benè NUMERARE nostri DISCANT.

Hæc

Hæc namq; tanquam prima Literarum fundamenta accuratè novisse, salus est Adolescentulis, ut Comicus inquit: nostro præsertim seculo, quo videmus egregiè in illis versatos ad summos passim emergere Honores, Reiq; publicæ, multo cum scœnore, & præesse, & prodesse. Licet verò nemo facilè in infimum GYMNASII nostri ORDINEM, quem SEXTUM dicimus, admittendus sit, nisi qui in Literarum agnitione, Syllabarum conjunctione, integrarumq; Vocum vel mediocri lectione se jam præparaverit; nihilominus tamen, ut ea omnia rectius excolantur, totus ille ORDO perpetuis legendi exercitiis vacat. Ubi potissimam Pronuntiationi operam *Præceptor* impendit, ut clara, tarda, distincta & articulata ea sit. Postea, quoad elegantissimè potest, in tabula pariter ac charta, monstrat characteres literarum, delineat ductus, & *Scriptionis* Latinæ ac Germanicæ exempla, singulis diebus debita cum cura proponit corrigitq;. Quam diligentiam ac sedulitatem, peculiari quoq; horâ Quintanis, Quartanis, reliquisq; præstare tenetur idem *Calligraphus Ordinarius*, sic tamen, ut majorem & nitidiorem picturæ elegantiam agilitatemq; ab iis requirat. NUMERORUM doctrinam, quâ nulla vitæ pars carere potest, eâdem horâ primâ pomeridianâ, sed in alio Auditorio, pari industriâ tradit *Arithmeticus* noster; qui præmissis ritè inculcatisq; quatuor illis, ut vocant, Speciebus, Regulam de Tri ex probatissimis Auctoribus, vivis inq; quotidiano usu occurrentibus exemplis perspicuè illustrat, iis cum primis, quæ in ordinandis acceptis & expensis occupantur.

IV. Atq; ita exorato NUMINE divino, omniq; supellectile navali decenter comparatâ, primâ navigatione ituri sumus in florentissimas INSULAS, in quibus LINGVÆ maximè necessariæ habitant. Prima enim à PIETATE & reliquis præexercitamentis cura est, ut LOQVI, LOQVENTESQVE alios intelligere DISCANT nostri, non vernacula tantum, sed eruditis quoque LINGVIS. Quo fine Præceptores QVINTI ORDINIS, (ad quem non pateat aditus illis, qui in legendo ineptè hærent, ac miserè hallucinantur,) continuatis strenuè legendi scribendiq; exercitiis, in LATINA LINGVA vocum præcipuarum significationes, Nominum Verborumq; inflexiones, è *Donato Rhenii* sedulâ conjunctâq; operâ inculcant, & cognitæ Typis, seu formis, nova subinde Nomina & Verba, juxta usitata Paradigmata, inflectenda singulis distribuunt, eorumq; variationes per Casus, Modos & Tempora frequenter exigunt, & unâ cum *Nomenclatura* rerum quotidianarum, facillimis imitatiunculis sollicitè applicant. Ita ab imperfecto ad perfectum, Natura ipsa duce, tendent.

In QVARTUM ubi ventum ORDINEM, *Præceptores* declinandi & conjugandi exercitia, (quibus basis totius literariæ structuræ incumbit,) & diligentius, & accuratius urgent, additis simul utilissimis Syntaxeos Regulis. Et ut majorem copiam sibi atque facultatem comparent earum rerum omnium, quæ in quotidiano versantur usu, quæq; sensibus humanis obvia sunt & explicata, præter commemoratam *Nomenclaturam*, *Vestibulum* insuper *Comenii*, unâ cum prioribus *Colloquiis Corderi*, non semel, sed bis, sed ter, & sæpius, resolvunt, & à discipulis memoriæ mandatum reposcunt, examine Grammatico firmiter imprimunt, nec non prima quasi Styli pericula, Nutricum more præmansa, in

Tabula ostendunt, propositis initio argumentulis trium, quatuorve membrorum, donec paulatim ad unam atq; alteram Periodum Exercitatio adsurgat.

Ex hoc ORDINE in TERTIUM digressi Adolescentuli, declinandi conjugandiq; Peritiam non vulgarem, & egregiam Vocabulorum plurimorum supellectilem adferant. Ultramq; hujus loci *Præceptores* è *Grammatica*, (quæ sola in omni studiorum genere plus habet operis, quàm ostentationis,) ex *Orbe Pictor Comenii*, è posterioribus *Corderi* Colloquiis, & selectioribus *Epistolis Ciceronis*, perspicuâ interpretatione, quotidianâ repetitione, & frequenti exercitiorum compositione mirè augent. Atq; in hâc *Classe* jam latinè confabulari incipit *Discipulus*, & tanquam in herba significat, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges industriæ sint futuræ.

Promotus in SECUNDUM ORDINEM in ipsum quasi defertur LATIUM. Ubi accuratiorem Romanæ LINGVÆ (communis omnium ferè Gentium Mercurii) intelligentiam, uberiori præceptorum Grammaticorum explicatione applicationeq; percipit, stylum orationis solutæ constantius excolit, Phrasium veræ Latinitatis thesaurum colligit, ex Auctioribus Clasicis, *Cornelio Nepote*, & *Terentio*, qui alternis vicibus interpretando enarrantur, & Progymnasmatibus imitatoriis in succum veluti ac sanguinem convertuntur. Ut verò ORDINIS hujus Cives non congruè tantum ac purè, sed & prudenter, & cum ratione atq; ornatu quodam LOQVI discant, Elementa LOGICÆ atq; RHETORICÆ omni fide illis explanantur, examinantur; immò & Cathedra aperitur, è qua breviores *selectarum Concionum* memoriter recitent, & sic *Actionem* cum *Elocutione* promptè conjungere advescant.

Tantis præfidiis instructi in SUPREMAM qui promoventur CURIAM, illi campum inveniunt theatrumq; amplissimum, in quo se suasq; vires exercent. Siquidem hîc aureæ argenteæq; ætatis Scriptores ferè omnes, *Cicero*, *J. Cesar*, *Virgilius*, *Horatius*, *Salustius*, *Curtius*, *Livius*, *Seneca*, *Svetonius*, *Justinus*, *Plinius*, &c. convenienti ordine præleguntur, extemporanea Phrasium evolutione & accommodatione, nec non Artificii Oratorii observatione, Moraliumq; enucleatione declarantur. Hîc Exercitationes ad Veterum consuetudinem, & altiores, & longiores proponuntur emendanturq;. Hîc Figuræ Amplificationum Rhetoricarum exemplis proprio Marte excogitatis illustrantur. Hîc *Epistole*, *Cbria*, *Narrationes*, *Descriptiones*, *Comparationes*, *Syllogismi Oratorii*, aliaq; Meletemata, cum primis verò *Orationes integræ*, *Nuptiales*, *Natales*, *Funebres*, *Panegyrica*, *Consultatoria*, &c. in Latina atq; Germanica Lingva, ad ductum celeberrimorum Oratorum, *V. Thilonis*, *C. Dieterici*, *A. Buchneri*, *C. Weisii*, *J. Masenii*, *M. Radau*, aliisq;, publicè privatimq; elaborantur, declamantur. Hîc LOGICA Præceptis, Quæstionibus, Regulis, cum Recentiorum Auctorum placitis collatis, plenius illustratur, ususq; ejus & Abusus in Facultatibus superioribus, nec non Praxis Oratoria, in *Genesi* & *Analysi*, clarissimis documentis frequenter demonstratur. Hîc crebra suscipiuntur tentamina, ut & ingenia explorentur, & ex tempore loqui discant, qui scire discunt, judiciumq; cum memoria excolant.

V. E. LA-

V. E LATIO in GRÆCIAM navigandum. Eadem quippe industriâ dexteritateq; GRÆCA docetur LINGVA, quæ clavis est reconditæ Eruditionis, & penu quoddam omnis priscae Sapientiæ. Nam legendi, pronunciandi ac declinandi prima Tyrocinia, è Compendio *Golii*, TERTIUS inculcat ORDO: quæ SECUNDUS curâ fervidiori repetit, & accedente Grammaticâ resolutione Evangeliorum eô usq; provehit, ut in PRIMO jam ipsas ATHENAS adire, Auctoremq; Græcum, nunc sacrum, è Testamento Novo, nunc profanum, tam in soluta, quàm ligata, *Isocratem* puta, *Plutarchum*, *Herodotum*, *Phocylidem*, *Hesiodum*, *Theognidem*, *Homerum*, &c. nostri, interpretatione præmissâ, legant, juxta Canones Grammaticos examinent, imitationeq; Exercitiorum utriusque Styli exprimere gestiant.

Quin & Theologiæ consecratis rudimenta EBRÆÆ LINGVÆ, per Regulas, ex optimis Auctorebus, *Buxtorffio*, *Schickardo*, *Wasmuthio*, *Pfeiffero* decerptas, satis perspicuè traduntur, & Analyfi Textûs sacri, è Bibliis *H. Opitii*, exponuntur, atq; ita Prophetarum illi Filii in ipsum Orientem, in Palæstinam, & sanctissimam HIEROSOLYMAM introducuntur.

VI. Quia verò, & rudis, & inculta, aut non satis magnifica censetur omnis LINGVARUM cognitio, quæ Spiritu Poëtico, & Veneribus ac Gratiis illis planè destituta sit, agedum in transitu montes illos commendatissimos, *Pindum*, *Heliconem*, *Parnasum*, quos sedes & domicilia MUSARUM, lepida Vatum natio olim credidit, salutemus, in illis cum *Hesiodo* aliquamdiu dormiamus, & ex eorum fontibus limpidissimis, *Hippocrene Aganippeq;* aquam hauriamus omnia ingenti literarum flumine inundantem. Quod ut commodè fiat, jam in TERTIO ORDINE cum præceptis *Profodiæ*, quantitates Syllabarum, Pedum dimensiones, Carminumq; ac Versuum discrimina examinantur, & resolutione *Distichorum Catonis*, (quæ omninò memoriæ mandanda) illustrantur. Quibus accedunt in SECUNDO ORDINE, *Eclogæ Virgilii*, & castiores *Ovidii Elegiæ*, è *Libris Tristium ac de Ponto*, mutatis vicibus evolvendæ, nec non Exercitia turbatorum Versuum in ordinem redigendorum. In PRIMO tandem subsequuntur *Ode Horatiane*, & stupendum planè *Aneidum Virgilii* opus. In quibus præter elegantissimarum vocum Phrasiumq; ordinem, structuræ Carminis rationem, ingenium artificiumq; Poëticum ostenditur, praxis ad imitationem Auctorum tractanda præscribitur exigiturq;, & ad usum publicum, in *Nuptias*, *Exequias*, *Onomasmata*, pluresq; alios passim obvientes casus, maximè dirigitur. Ita nostri, vel primoribus, quod dicitur, labris, gustant Poëticam, placentam illam ex omnium Disciplinarum deliciis ac medullis conditam, & mellificium illud ex delectissimis quibusq; flosculis compositum.

VII. Sed satis diu in amœnis ac floridis LINGVARUM ARTIUMQVE INSTRUMENTALIUM substitimus *Insulis*. Eundem nunc nobis novâ navigatione ad beatissimas illas terras, in quibus & SAPERE discamus. Etenim non perpetuò colluctandum cum *Sacco Grammatico*, cum *Darapti Felapton Logicastrorum*, cum *Schematismis Rhetorum*: Sed ubi hæc, tanquam altiorum Scientiarum instrumenta, cognita diu, multumq; inculcata fuerint, ad sublimiora progrediendum, & earum quoq; Disciplinarum, quibus hominum mo-

res universim ac singillatim conformantur, aut Naturæ mysteria recluduntur, facilis aliqua, in Synopsi, notitia communicanda. *Quo mihi Lingvæ usus, si mens sit inanis rerum in vita utilium?* Itaq; salutari cognitione *Ethica, Politica, Physica, Historia, Spherica, Geometria, Geographia ac Chronologia* Juvenum nostrorum imbuimus animos, ut de summo in Moralibus Bono, de Affectibus & Actionibus humanis earumq; Principiis: De Virtutibus & Vitiis: de Societatibus simplicibus æqvè ac compositis, de Republica, ejusq; formis & Juribus Majestatis: de Corporis naturalis Causis, Affectibus, Speciebus: de rebus, & Majorum & nostrâ ætate gestis: de Æris, Epochis, earumq; receptaculo, Periodo Juliana: de Imperiis, Regnis, Provinciis, moribus Populorum, Urbibus, Insulis, Fluminibus, &c. vel ipsi expeditâ facundiâ disserere, vel alios intra & extra pulpita scholastica disserentes feliciter assequi possint, sine ope Elucidarii aut Dictionarii, à quibus rudiorum vulgus Magistellorum ferè pendet, petens inde ignorantia suæ subsidia. Ita & reliquas *Mathematicum* aliarumq; Disciplinarum delicias pro captu Auditorum adjicimus. Immo, ut Facultatum, quas vocant, superiorum prægustum aliquem capiant Academiarum Candidati, præter *Compendium Heermanni*, etiam *Theologia Positiva D. Kœnigii*, Nobilibus verò & Politices Studiosis, Libri IV. *Institutionum Juris*, unâ cum duobus utilissimis Titulis, *de Verborum significatione, & diversis Juris antiqui Regulis*, compendiariâ viâ explicantur. Et quemadmodum ad ostentationem nihil, ad utilitatem Discipulorum omnia referuntur: Ita nec ingenia laboribus nimis obruuntur, quin id potius omnibus nervis agitur, cum longum iter per præcepta, breve verò & efficax per exempla sit, ut illa paucissima & optima, hæc verò illustrissima ac creberrima ubiq; exhibeantur, urgeantur.

VIII. Nihil de suavissimo Templorum ornamento, animorumq; dulcissimo solatio, *MUSICA* dixi, quàm ut *Cantoris* solers industria publicè privatimq; moderatur; ita Regentes quoque Beneficiorum, sive Choragi, non tantum in Schola, horis extraordinariis, sed etiam extra Scholam, in stato illo Recordationis officio promptè, compositè seduloq; exerceant. Nihil de Lectionibus extraordinariis in *PRIMO ORDINE* hætenus Bihorio matutino præmissis, quibus *Nucleum universæ Polymathie*, & quæ ad locupletandam ornandamq; Orationem maximè faciunt, *Sententias, Adagia, Fabulas, Symbola, Dapes Poëticas, Emblemata, Similia, Exempla, Novellarum Lectionem & usum, item Notitiam Librorum* liberali suppeditavimus, (& impostertum quoque erogaturi sumus,) manu. Nihil deniq; de Collegiis horisq; privatis commemoravi, in quibus ordinariæ Lectiones non tantum repetuntur, sed & alii Auctores, Disciplinæ aliæ, quæ illo tempore publicitus tractari non possunt, commodè dilucidèq; evolvuntur.

IX. Prætereà, ne in Navigatione hæc literariâ, evitatâ Charybdi in Scyllam incidamus, hoc est, discussis ignorantia nebulis, in Syrtes rusticitatis, imprudentiæ ac temeritatis prolabamur, id quoque nobis curæ ac cordi est, ut, quod *Sapiens è Porticu* monet, *non Scholæ, sed Vitæ discamus*. Quocirca, ne quis cum Judiciosissimo *Petronio Arbitro* conqueratur, *Adolescentulos in Scholis nostris fieri stultissimos, quod nihil eorum, quæ in usu habemus, vel videant, vel audiant,*

audiant, fidei nostræ commisos maturè, ut Aquilæ pullos suos, Luci publicæ præparamus, ea docendo, quæ Viris aliquando commodo futura. Quicquid in Oratoribus excellens: quicquid in Poëtis rarum ac carum: quicquid in Historicis memorabile: Quicquid in Philosophis salutare ac grave, id omne sub Locorum Communium classes revocamus, & præsentis futuroq; usui destinamus: Quomodo supremum in Cælis Numen, ejusq; in his terris Vicarios, Magistratus, revereri, honestè vivere, neminem lædere, suum cuiq; tribuere, æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito discernere: quæ prudentiâ præterita recordari, præsentia ordinare, futura prospicere: quibus mediis Virtutes assequi, declinare vitia, monstra Nautis & nota, & infesta, & sic cum modestia atq; tranquillitate Æquor hoc transire, tumidum sæpè ac procellosum: quæ ratione cupiditati, instar Equi recalcitranti, frenos injicere, Voluptatumq; Sirenes cum Ulysse eludere oporteat: quo pacto quis in conversatione erga Superiores, Æquales, Inferiores, & cultu, & vultu, in omnibus actionibus, quæ publicis, quæ privatis, & quovis vitæ genere se gerere debeat, ut sit *Virtutis vera custos, rigidusq; satelles.*

X. Atque ut hæc omnia, instar catenæ perpetuâ quadam serie cohæreant, nosq; sine remoris ac deviis facilius felicisq; in Portum provehamur, duo quotannis instituuntur *Examina publica: Vernale* alterum, alterum *Autumnale*; in quibus & Pensa Docentium perlustrantur, & profectus Discipulorum explorantur. In his, qui suam diligentiam, vitæq; modestiam Auditorio probârunt, meritâ laude decorantur, & pro ratione progressum altius promoventur. Indiligentes verò & degeneres fuci, verbis ac minis, ut mores emendent, gravissimè admonentur: hæc tamen prudenti moderatione, ne Provetiores nimiam laude ad superbiam, pestem in Scholis familiarem, invitemus, aut tardiores contemptu asperiori ad desperationem compellamus. Hunc in finem inferiorum mediarumq; Classium Alumni, non tantum *Signa illa, Latinitatis ac Morum*, communia habent, sed amico *Certamine* inter se quoque congregiuntur. In quo licet *vincere* & *vinci pulcrum* habeatur, Præceptor tamen Victori palmam decernat, sine sequiori affectu, victo stimulos majoris diligentiae subdat, omnesq; ad Scholasticorum Exercitiorum amorem accendat. In PRIMO ORDINE *Declamationum & Ventilationum* fervent studia. Nimirum pressius ante exercendi sunt intra privatos parietes, quàm in forum Martemq; apertum producantur, periculum facturi, quid perorando, quid disserendo valeant humeri, quid ferre recusent. Quod luculenter ostendunt *ACTUS illi publici*, Oratorii ac mixti, quorum singulis annis *tres* exhibentur.

XI. Verùm enim verò omnis illa Institutio, ac spes nostra, vix tandem exoptato coronabitur eventu, nisi qui ad Temonem *Navigationis Scholasticæ* sedent, *Naucleri*, nec non *Remiges* in Astris oculos, in clavo remisq; manus habeant, hoc est, orent, laborent, vigilant, & maximè DISCIPLINÆ rationem habeant, quæ Scholarum anima, & Spiritus omnis honestæ gubernationis est; hæc præcipuè immiti tempestate, quæ citius piscem sine spinis, & malum Punicum sine putridis granis invenias, quàm vel unum expertem corruptelæ Discipulum. *Usq; adeò mali mores, quasi herba irrigua, succrescunt uberrimè!*

Quemadmodum verò nolimus Doctores nostros *Orbilios* plagosos esse,

(*Qui sceptrum vibrant ferule, quæis multa supellex
Virgea, quæis mollis scuticam prætextit aluta;*)

Ad quorum conspectum perinde trepidant pueri, atq; si caput Gorgonis intueantur, aut Empusam quandam ex inferis prodeuntem: Ita nec *Placentinos* languidos, *Mitiones* aut *Memmios* plus æquo indulgentes ferre possumus, qui ad omnia peccata somniculosè connivent, & quoscunq; discipulorum errores unius assis æstimant, parùm solliciti, proficiant, deficient; vivant, pereant. Illi namq; tetricâ austeritate suâ deterrent Juventutem,

tem, eiq; omnem progrediendi spem ac desiderium adimunt: Hi autem lentore suo, & tepidâ mollitudine planè vires ac nervos omnes animi corrumpunt. Sed eos probamus, qvi *medium tenuère beati*: qvi humanitatem cum gravitate, severitatem cum clementia, gratâ temperie, prudenter miscent: qvi parvis delictis veniam, atrocibus pœnas destinant: qvi circumspeditione providâ occasiones peccandi pro virili præscindunt, principiisq; obstant, ne mala per longiorem moram à consuetudine robur ducant, & omnem Medicinam respuant: Qvi ignea ac generosa ingenia freno, plumbea morosaq; calcaribus, media medio regunt modo: Qvi flexiles & cereos à pravorum consortio arcent, Minores pelliciunt, Majores trahunt: Refractarios atq; exorbitantes gravi tempestitivaq; oratione in bonæ mentis templum reducunt. Et quoniam *non sic inflectere sensus*

Humanos edicta valent, quàm vita Regentum:

Magister, qvi de virtute præclarè loquitur, ex virtute quoque præclarè vivat, & faciendo, rectè facere suos doceat, probitateq; suâ, moderatione ac diligentia ex malis bonos, ex bonis optimos, ex optimis doctissimos reddat. Ita omnium benevolentiam sibi conciliabit, & quod unicum rerum agendarum telum est, auctoritatem servabit sanctam integramq;. Contrà verò durum est imperio magis, quàm exemplo duci; & omnium pestilentissimum disciplinam ab eo, cui tuenda erat, ipso prodi.

XII. Sed cum desideratissimum tandem videamus PORTUM, non est cur longius fessam carinam ventorum injuriis ludibriisq; exponamus. Delineavimus vobis, Lectissimi *Minervæ Pulli*, CYNOSURAM STUDIORUM PUBLICORUM, quæ in GYMNASIO nostro à nobis expectari potest. Ad hanc dirigite, ad hanc convertite *vela vestra*. *Remi* sint pertinax industria ac obedientia: *Malus* generosa constantia: *Anchora Cœli Gratia* & illibata conscientia. Ita adspirante Divini favoris *Zephyro*, siccis oculis & clausis auribus monstra natantia, decertantem Aquilonibus Africum, naufragos fluctus, formidolosas tempestates, & si quos alios occasio objecerit scopulos, felici progressu transendo, non tantum cum *Jasone*, aureo potiemi *vellere*, ERUDITA PIETATE; sed & turbulentum illud, quod Mortales omnes navigamus, *pelagus* emensi, incolumi vitâ & nave *portum portamq;* Cœli ingrediemini. Ego verò, dum *stant in littore puppes*, pro concessa hætenus *Malacia*, præpotenti *Maris DEO* votivam suspendo tabulam, eundemq; calidissimis precibus posco, ut futuro quoque *Anno*, cui velut *Mari* committimur, per tot undas vehendi, quot dies; per tot fluctus & procellas, quot horas & momenta: omniq; subsequuturo tempore, perpetua nobis propriaq; largiatur *Halcyonia*, Providentiâ suâ, ceu *Pharo* præluceat, & Favore publico *Carbasa* nostra implere promovereq; dignetur. Sic enim *clavum cursumq;* haud infeliciter cœptum, & in posterum quoque pari fide atq; industriâ moderabor, nondum *lassus maris atq; viarum*. De cæteris *Dominis Collegis*, qvi in eadem Nave constituti, harumq; rerum scientissimi sunt, benigna quæq; mihi aliisq; polliceor, eos impigram remis admoturos esse manum, nec cum *Palinuro* sereno confisos obdormituros: utpote, quorum idem scopus ac portus; eadem Lex est, certè esse debet: GLORIA DEI, JUVENTUTIS SALUS, LEGUM AUCTORITAS, GYMNASII DIGNITAS.

Vale LECTOR, qvi DEO Duce, inter media aliorum naufragia, in portu navigas, & quod obnixè contendimus, vota nobiscum precesq; conjunge, pro PATRIA, pro ECCLESIA, pro SCHOLA; imprimis ut præsentem, quem vides, ADSPIRET FORTUNA LABORI. P. P. BREGÆ Silesiorum, Calendis Decembris, A. O. R. octuagesimo quarto supra millesimum sexcentessimum.

Gottfried THILO:

Seneca Epistolâ 95.

Hac proxima est semita ad famam eternaturam; discere in umbra, quæ oporteat; quæ didicisti, agendo in luce confirmare.

∞)o(∞

REMIGIO ALTISSIMI!
CURSUS
LECTIONUM PUBLICARUM, IN GYMNASIO BREGENSI,
JUXTA CYNOSURAM PRÆFIXAM, TRADENDARUM, A. C. M. DC. LXXXV.
ET QUIDEM IN PRIMO ORDINE.

Die Lunæ.

Manè horâ	{	7. & 8. Logicæ Præcepta, Regulas, & Usus denuò inculcabit, atq; omni studio examinabit, <i>Gottfried THILO, Rector.</i>	}	1. Musica.
		9. Græcam Grammaticam, quâ utiliora repetet, & Orationes Isocratis debitâ curâ resolveret, <i>M. Johannes Leubscher / Professor.</i>		2. Virgilio Libros Æneidum, ostenso Artificio Poëtico, & Phrasium titulis interpretabitur, <i>M. J. Leubscher.</i>

Die Martis.

Manè horâ	{	7. & 8. Oratoriæ Praxin Exemplis, cum sacris, tum profanis, iisq; Germanicis æq; ac Latinis, illustrabit, <i>Rector.</i>	}	1. Musica.
		9. In resolutione Isocratis perget, <i>M. Leubscher.</i>		2. Lektionem Virgilianam, continuabit, <i>M. Leubscher.</i>

Die Mercurii.

Manè horâ	{	7. Theologiam, cum dictis Scripturæ sedulo tradet, <i>M. Christianus Schwopius, Professor.</i>	}	A prandio Feriæ publicæ: Professores tamen, his & aliis horis, continuant Collegia privata, & discendi cupidis suam liberaliter operam pollicentur.	
		8. Orationes Ciceronis explicabit, & convenienti Phrasium imitatione applicabit, <i>Rector.</i>			
Manè horâ	{	9. Præcepta Ebrææ Lingvæ perspicuè exponet, <i>M. Schwopius.</i> Quibus absolutis, idem <i>Schwopius</i> Orationes Ciceronis suscipiet, <i>Rector</i> verò Elementa Juris, ex Institutionibus, commodè explanabit.	}		

Die Jovis.

Manè horis dimidiatis à 7. ad 10.	{	Synopsis Physicæ J. Sperlingii prælegit, <i>Rector.</i>	}	1. Musica.
		Exercitia Styli imitatoria in Cicero-nem proponet, corrigetq;, <i>M. Schwopius.</i>		2. Varia Carminum genera, imitatoria, libera, Latino-Germanica proponet, <i>M. Leubscher.</i>
			}	3. Collegium Publico-Privatum, <i>Rector.</i>

Die Veneris.

Manè horis à 7. ad 10. dimidiatis.	{	Historiam, superioris nostriq; seculi, à MAXIMILIANO I. usq; ad LEOPOLDUM I. succinctè evolvit, <i>Rector.</i>	}	1. Musica.
		In corrigendis Exercitiis Styli perget, <i>M. Schwopius.</i>		2. Praxin Græcæ Lingvæ in Exercitio ex Auctore ostendet, <i>M. Leubscher.</i>
			}	3. Collegium Publico-Privatum, <i>Rector.</i>

Die Saturni.

Manè horâ	{	7. Theologiam declarabit, <i>M. Schwop.</i>	}	Absolutis his Lektionibus succedet Ethica, Politica, Geographia, Horatius, Auctor Græcus sacer, & aliæ Disciplina.	
		8. Declamationes Orationum, & Ventilationes Thesium, alternis urgebit vicibus, <i>Rector.</i>			
			}		

QVINTILIANUS; Optimis advescendum, multaq; magis, quam multorum lectione firmanda mens, & ducendus color.

CURSUS LECTIONUM PUBLICARUM
IN SECUNDO ORDINE.

Die Lunæ.	
Manè horâ	<div style="display: flex; justify-content: space-between;"> <div style="width: 45%;"> <p>7. Logicæ Præcepta, ex M. Ittero explicabit & illustrabit, <i>M. Johannes Leubscher / Profesor.</i></p> <p>8. Etymologiam Grammaticæ Rhenii repetet, & plenius exponet, <i>M. Christian. Schwopius, Profesor.</i></p> <p>9. Absoluto Cornelio Nepote, Terentium perspicuâ interpretatione, phrasium evolutione & applicatione tradet, <i>Idem.</i></p> </div> <div style="width: 5%; text-align: center;">A Meridie.</div> <div style="width: 45%;"> <p>1. Musicam, <i>Cantor.</i> exercebit Arithmeticam, <i>C. Bancke.</i></p> <p>2. Syntaxin Grammaticæ pleniorē excutiet,</p> <p>3. Exercitia Styli imitatoria in Autorem publicum proponet corrigetq; <i>M. C. Schwopius.</i></p> </div> </div>
Die Martis.	
Manè horâ	<div style="display: flex; justify-content: space-between;"> <div style="width: 45%;"> <p>7. Rhetoricæ Rudimenta, è Dieterico omni fide inculcabit, <i>M. Job. Leubscher.</i></p> <p>8. In explananda Etymologia Grammaticæ,</p> <p>9. Et evolvendo Auctore publico sedulo perget, <i>M. C. Schwopius.</i></p> </div> <div style="width: 5%; text-align: center;">A Meridie.</div> <div style="width: 45%;"> <p>1. Musicam, <i>Cantor.</i> exercebit Arithmeticam, <i>C. Bancke.</i></p> <p>2. Syntaxin Grammaticæ accuratiorē,</p> <p style="text-align: center;">&</p> <p>3. Exercitia Styli continuabit, <i>M. C. Schwopius.</i></p> </div> </div>
Die Jovis.	
Manè horâ	<div style="display: flex; justify-content: space-between;"> <div style="width: 45%;"> <p>7. Logicæ Elementa declarabit,</p> <p>8. Progymnasmata Styli proponet,</p> <p>9. Et Græcam Grammaticam Golii perspicuè inculcabit, <i>M. Job. Leubscher.</i></p> </div> <div style="width: 5%; text-align: center;">A Meridie.</div> <div style="width: 45%;"> <p>1. Musicam & Arithmeticam exercebunt supra nominati.</p> <p>2. & 3. Eclogas Virgilii, & absolutis illis, Ovidii Libros Tristium interpretabitur, proposito simul Carmine, <i>M. C. Schwopius.</i></p> </div> </div>
Die Veneris.	
Manè horâ	<div style="display: flex; justify-content: space-between;"> <div style="width: 45%;"> <p>7. In Rhetoricæ Præceptis repetendis,</p> <p>8. In Progymnasmatibus Styli emendandis,</p> <p>9. Et Græcis Declinationibus, ac Conjugationibus examinandis progredietur, <i>M. Leubscher.</i></p> </div> <div style="width: 5%; text-align: center;">A Meridie.</div> <div style="width: 45%;"> <p>1. Musica & Arithmetica.</p> <p>2. Evolutio Eclogarum Virgilii.</p> <p>3. Carminis elaboratio, urgente <i>M. Schwopio.</i></p> </div> </div>
Diebus Mercurii & Sabbathi.	
Manè horâ	<div style="display: flex; justify-content: space-between;"> <div style="width: 45%;"> <p>7. Compendium Theologicum Hermannii declarabit, illustrabitq; <i>M. Leubscher.</i></p> <p>8. { § Concionum Civilium recitationem fideliter continuabit, <i>Andreas Grempler, Collega.</i> h Evangelii Græci, aut etiam Epistolæ interpretationem resolutionemq; exiget, <i>Idem.</i></p> <p>9. { § In Græcis omni curâ, h Et revisione Lectionum totius septimanæ, Exercitiorumq; correctione occupabitur, <i>M. Leubscher.</i></p> </div> <div style="width: 5%; text-align: center;">A Meridie.</div> <div style="width: 45%; text-align: center;">A prandio Feriæ publicæ.</div> </div>

Nota.

Ut in Primo, ita in hoc, & sequentibus Ordinibus, Præceptores discipulis suis Classicis privatam industriam sanctè promittunt, ea proposituri ac tractaturi, quæ adultis aliquando usui futura. Gravis enim, ne dicam, turpis querela est:

Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus.

CURSUS LECTIONUM PUBLICARUM
IN TERTIO ORDINE.

Die Lunæ.

Manè horâ	{	7. Compendium Grammaticæ Rhenii, quâ Etymologiam, summo studio explicabit,	}	A Meridie.	1. Exercitium Musicæ & Arithmeticæ.
		8. & 9. Orbem Pictum Comenii, à Discipulis memoriæ mandatum, exiget, & repetitione atq; Examine Grammatico firmius imprimet, <i>Andreas Grempler, Collega.</i>			2. Faciliores Ciceronis Epistolas, vernaculâ translatione & Phrasium applicatione evolvit, <i>Martinus Gerhardi, Cantor.</i>
					3. Ex Orbe Picto Comenii, Exercitium proponet corrigetq; <i>Andreas Grempler.</i>

Die Martis.

Manè horâ	{	7. Etymologiam Grammaticæ,	}	A Meridie.	1. Musica & Arithmetica.
		8. Orbis Picti evolutionem debitâ sedulitate continuabit, <i>A. Grempler.</i>			2. Disticha Catonis, cum Examine Profodiæ exponet, atq; memoriter reposcet, <i>Andreas Grempler.</i>
		9. Exercitium in selectiores Ciceronis Epistolas proponet componetq; <i>Mart. Gerhardi.</i>			3. Exercitia Styli urgebit, <i>Idem.</i>

Die Jovis.

Manè horâ	{	7. In interpretatione Epistolarum Ciceronis perget, <i>Mart. Gerhardi.</i>	}	A Meridie.	1. Praxis Musicæ & Arithmeticæ.
		8. Syntaxin Grammaticæ perspicuè tradet, <i>Andr. Grempler.</i>			2. In Catonis Moralibus,
		9. <i>Idem</i> & Orbis Picti explicationem subjunget.			3. In Exercitiis Styli imitatoriis corrigendis occupabitur, <i>A. Grempler.</i>

Die Veneris.

Manè horâ	{	Continuabunt	}	A Meridie.	1. Musica & Arithmetica.
		7. Syntaxin Grammaticæ,			2. Disticha Catonis,
		8. Exercitia in Orbem Pictum, <i>A. Grempler.</i>			3. Orbem Pictum, unâ cum Praxi, repetet, <i>A. Grempler.</i>
		9. Epistolarum Ciceronis evolutionem imitationemq; <i>Mart. Gerhardi.</i>			

Diebus Mercurii & Sabbathi.

Manè horâ	{	7. Catechesin Lutheri omni fide implantabit, <i>A. Grempler.</i>	}	A Meridie.	
		8. Colloquia Corderi in Quarto Ordine inchoata, repetet, & majori curâ exponet, <i>Georgius Baptista, Collega.</i>			A prandio Feriæ publicæ. Namq; ut Poëta canit: — — — <i>Vires instigat,</i> <i>aliquæ</i> <i>Tempestiva quies: major post</i> <i>otia Virtus.</i>
		9. Lectionem Græcam, cum Spiritibus, Accentibus, & primis Nominum inflexionibus tractabit, <i>Cantor.</i>			

L. CRASSUS IN CICERONE:

Ista discuntur facile: si & tantum sumas, quantum opus sit: & habeas, qui docere fideliter possit: & scias ipse discere.

CURSUS LECTIONUM PUBLICARUM
IN QUARTO ORDINE.

Diebus Luna, Martis, Jovis, & Veneris.

- | | | |
|-----------|---|---|
| Manè horâ | <p>7. Rhenii Donatum solidè explicabit, exemplisq; crebris illustrabit, <i>Georg. Baptista.</i></p> <p>8. Officinam Virtutum, & Primæ Latinæ studiose interpretabuntur, addito ubiq; Grammatico Examine, <i>Cantor & Georgius Baptista.</i></p> <p>9. Vestibulum à Discipulis, post diligentem resolutionem memoriter comprehensum, examinabit, & convenienti variatione applicabit, <i>Cantor.</i></p> <p>♀. Idem præstabit, <i>Georg. Baptista.</i></p> | <p>1. Praxin Scripturæ elegantioris fideliter urgebit, <i>Johannes Fridericus Macke.</i></p> <p>2. Colloquia Corderi sedulâ tractabit operâ, <i>G. Baptista.</i></p> <p>3. Styli præexercitamenta in Tabula, domiq; componenda tradet atq; exiget, <i>Idem.</i></p> <p>Cum Inferioribus verò repetitionem Nomenclaturæ, cum examine Declinationum & Conjugationum seriò suscipiet, <i>Christianus Gönner.</i></p> |
|-----------|---|---|

Diebus Mercurii & Sabbati.

- | | | |
|-----------|--|---|
| Manè horâ | <p>7. ♀ Repetitionem Donati vel Vestibuli, h̄ Examen Dicti Biblicæ instituet, <i>Christianus Gönner.</i></p> <p>8. Catechesin Lutheri sollicitè inculcabit, <i>Cantor.</i></p> <p>9. h̄. Lectionum & Exercitiorum revisionem,
♀. Evangelii aut Epistolæ recitationem expositionemq; urgebit, <i>G. Baptista.</i></p> | <p style="text-align: center;">A Meridie Feriæ.</p> <p style="text-align: center;"><i>Ita enim Pueri resicient vires, & alacriorem animum ad Studia afferent.</i></p> |
|-----------|--|---|

Ursæ foetus suos lambendo fingere dicuntur: Sic Præceptores, maximè in hoc Ordine, nulli labori, industriæ nulli parcant, ut sic lambendo applicent formentq; Pueriles habitus.

CURSUS LECTIONUM PUBLICARUM
IN QUINTO ORDINE.

Diebus Luna, Martis, Jovis & Veneris.

- | | | |
|-----------|---|--|
| Manè horâ | <p>7. Principia Religionis Christianæ è Catechismo probè instillabunt,</p> <p>8. & 9. Declinationes Nominum & Pronominum, Conjugationes item Verborum, singulari curâ explicabunt & exemplis frequentissimis, in Tabula ac Discursu illustrabunt, conjunctis semper viribus, <i>Christian. Gönner/ & Christoph. Bancke.</i></p> | <p>1. Selectiora Nomina, ac Verba è Nomenclatura Lat. proponet atq; exiget, <i>Christian. Gönner.</i></p> <p>2. Scriptionem accuratiorum cum Arithmetica, &</p> <p>3. Lectionem Germanicam Latinamq; utrinq; perfectiorem, urgebunt, conjunctis ubiq; operis, <i>Christianus Gönner/ & Christophorus Bancke.</i></p> |
|-----------|---|--|

Diebus Mercurii & Sabbati.

- | | | |
|--------------------|--|---|
| Manè horis tribus. | <p>Psalmos faciliores, Evangelia, & Sententias Biblicas proponet atq; memoriter reposcent, conjunctim, <i>Christianus Gönner/ & Christoph. Bancke.</i></p> | <p style="text-align: center;">A Meridie Feriæ.</p> |
|--------------------|--|---|

SEXTUS ORDO,

Quùm totus precandi, legendi, scribendi, recitandiq; exercitiis quotidianis occupatus sit, committitur fidei & industriæ Johannis Friderici Mackii.

In his inferioribus Ordinibus videtur quidem in tenui labor: at tenuis non gloria. Nunquam enim contemnenda sunt quasi parva; sine quibus magna constare non possunt.

Atq; hic est CURSUS Studiorum Publicorum, quem si observaveris rectè, ô Pubes Studiosa, Ordine pervenies, quo non datur ire labore.

SOLI DEO GLORIA!

1017

no.

FAVETE LINGVIS!

I.



Vod in molesta plenaq; periculi Navigatione est CYNOSURA,
& c
fixa
cili
pariter ac METH
& POLARI STEL
inter tot Auctores
tia ac portenta, ve
anxii dubiiq; hære
nis portum felicit
Favonio, & incre
ferò, & per varios
conqveruntur. Ig
qviNavem GYMN
qvàm commodis
Mæandris perplexi
dâq; viâ ducat.
animisq;, & dum a

II. Anteqvam
Pelago, posthabitis
mente supplicatur
jubeat,

PIETAS enim pro
tionum, Sententiar
liorum recitatione
repetitione, Catech
pleniori explicatio
terno, teneris insti
plisq; subindè con
haurit, ille non tan
scit, sed præterea
est, fluxam ac frag
prosperis æqvè ac



ad eam, velut in æqvilíbrio
ca: id ipsum in ardua ac diffi
omnium ratione est ORDO
Absq; hac enim NORMA
n Oceanum ingrediuntur, illi
olinas, tot Opinionum divor
& naufragiis infames scopulos
dum, veræ solidæq; Eruditio
lari Cœli clementia, favente
pulerunt; hi plerumq; nimis
isthuc delatos esse gravissimè
li damno *Nostris* ulu veniat,
scribemus illis METHODUM
E, aut CYNOSURA, absq;
exoptatissimam brevi jucun
eam, ô Mei! intentis oculis

funes.
am infido nos committamus
cipiamus Ædem, devotissimâ
nem literariam felicem esse

quora placat;
reducit.

Atq; hanc quotidiana Preca
n item, ac Psalmorum nobi
um sacrarum auscultatione,
hiridii, nunc strictiori, nunc
Classe, veluti cum lacte ma
m facientibus monitis exem
ores PIETATIS, qui probè
q; ac purè DEUM colere di
, Morganas ingeniosas, hoc
, errorum Syrtes notat, & in
rem, nec animum mutat;

Impavidum ferient ruinae.

III. Deinde ad tam diuturnam ancipitemq; Navigationem maturè supelle
ctilem nauticam instruamus, hoc est, omni contendamus opere, ut exactè
LEGERE, SCRIBERE eleganter, & benè NUMERARE nostri DISCANT.

Hæc